



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Fasti Mariani

Brunner, Andreas

Antverpiæ, M.D.C XXX III.

S. Petrus Abbas 14. Martii.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70962](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70962)

rogum hunc conjicit. Induit tamen, quam mater exuit, ignis pietatem, & incolumem reddidit, pulchrius inter flammam quam purpuram splendentē. Minus vero jam fidendum regno vidēs, in Italiam religionis causā contendit, sed mors aliò ex itinere abduxit. In cælum ubi venit, hoc denique ei regnum placuit. *Ex Ferrar.*

S. PETRVS ABBAS. 14. Martii.

QVAM Alites beati familiares PETRO, & PETRVS vicissim illis fuerit, ex iis que narrabimus, perspicies. Tyro in religiosā Claræ Vallis disciplinā cum esset, obdormiscentis inter preces Matutinas latus vellicavit Ales unus aliquis ex illis, de quibus diximus, gratissimus PETRO monitor. Aliās cum avocante capitis dolore à fociis abutum è templo pararet, illa repente verba à Cæli choraulis cani audivit: *Laudans invocabo DEVM*, atque his voculis delinitus, facile dolorum oblitus est, perrexitque etiam ipse cœptas preces decantare, etsi inter olores illos non malè anserem se putaret. Illud amœnissimum spectaculum oculis PETRI accidit, videre, cum messis tempore labori cum suis intentus esset, Virginum Reginam MARIAM geminā altera Maria (è Solymis altera, altera ex Ægypto erat) per segetes am-

bulare, sociisque & laborantibus solamen addere, & fatigatis sudorem abstergere illâ manu, quâ, cum lubet, nubes abstergit, & cælum serenat. Certè tanti esse PETRVS credidit VIRGINEM vidisse, ut cum ex ægritudine alterum deinde oculorum amisisset, minimè ægrè hoc ferret, memor, in quali oculo oculum suum abscondisset. Imò gratulatus sibi luscus est, è duobus hostibus (sic enim ille oculos indigitabat) unum saltem amisisse. Lubens igitur etiam alterum beatâ morte clausit. *Ex Petro de Natal.*

S. LONGINVS M. 15. Martii.

LONGINVM ajunt Centurionem Lejus cohortis fuisse, quæ Servatori, & è cruce pendenti, & tumulo cõdito, custodia causâ fuit addita; Eundem lanceâ latus hausisse sacratissimum, geminosque amoris fontes sanguinis & aquæ nobis dedisse, auctori etiam suo salutare, quippe cujus oculis medicinâ fecisse liquor illapsus memoratur. Id certè nemo negaverit tot miraculorum spectatori mentis oculos apertos esse, & cum facinus jam suum, ac Iudæorum videret, pectus planxisse, & testimoniû divinitatis crucifixo dedisse. Id cum & tunc & in publico post concilio fecisset, odiumque ingens sibi conflasset, Cappadociam gemino cum comite petiit.